

C.A.P.E.S.
CONCOURS EXTERNE

Section : LETTRES CLASSIQUES

VERSION LATINE

REFLEXIONS SUR LA MORT D'UN AMI HISTORIEN

C. PLINIUS NOVIO MAXIMO SUO S.

Nuntiatur mihi C. Fannium decessisse ; qui nuntius me gravi dolore confudit, primum quod amavi hominem elegantem disertum, deinde quod iudicio eius uti solebam. Erat enim acutus natura, usu exercitatus, veritate promptissimus. Angit me super ista casus ipsius : decessit veteri testamento, omisit quos maxime diligebat, persecutus est quibus offensior erat. Sed hoc utcumque tolerabile ; gravius illud, quod pulcherrimum opus imperfectum reliquit. Quamvis enim agendis causis dstringeretur, scribebat tamen exitus occisorum aut relegatorum a Nerone et iam tres libros absolverat subtiles et diligentes et Latinos atque inter sermonem historiamque medios, ac tanto magis reliquos perficere cupiebat, quanto frequentius hi lectitabantur.

Mihi autem videtur acerba semper et immatura mors eorum, qui immortale aliquid parant. Nam qui voluptatibus dediti quasi in diem vivunt, vivendi causas cotidie finiunt ; qui vero posteros cogitant, et memoriam sui operibus extendunt, his nulla mors non repentina est, ut quae semper incohatum aliquid abrumpat.

Gaius quidem Fannius, quod accidit, multo ante praesensit. Visus est sibi per nocturnam quietem iacere in lectulo suo compositus in habitum studentis, habere ante se scrinium - ita solebat - ; mox imaginatus est venisse Neronem, in toro resedissee, prompsisse primum librum quem de sceleribus eius ediderat, cumque ad extremum revolvisse ; idem in secundo ac tertio fecisse, tunc abisse. Expavit et sic interpretatus est, tamquam idem sibi futurus esset scribendi finis, qui fuisset illi legendi : et fuit idem.

Quod me recordantem miseratio subit, quantum vigiliarum quantum laboris exhausserit frustra. Occursant animo mea mortalitas mea scripta. Nec dubito te quoque eadem cogitatione terri, pro istis quae inter manus habes.